ARQUIVO DA UNIVERSIDADE

COLÉGIO DA COMPANHIA DE JESUS
E
UNIVERSIDADE DE ÉVORA

1559

Parte da Prebenda da Sé para os Capelães da Vera Cruz estudarem moral por dois anos.

Gav. 6-A- Maço 3 - N.º 69

156-

Rainutius miseratione divina tit. sancti Angeli presbiter Cardinalis Reverendo in Christo patri et Serenissimo domino Henrico miseratione divina tit. sanctorum Quattuor Coronatorum presbitero Cardinali
Infanti Portugalie Salutem et sinceram in domino charitatem. His que pro divini cultus augmento provide facta et ordinata fuisse ac ad animarum salutem precipue tendere conspicimus libenter cum a Nobis petitur apostolice confir-
mationis firmamentum adiicimus. Exhibite siquidem nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat quod nuper seu alias vos salubri directioni gregis vobis ratione ecclesie Elboren. cui ex dispositione apostolica preestis cre-
diti more vigilis pastoris intendere et considerare quot et quanta inconvenientia et mala ex ignorantia sacerdotum curam animarum [illegible] provenirent Volentesque illis quantum cum deo poteratis occurrere et ne
clerici et alie persone ecclesiastice vestre dioc. Elboren. ex distantia studiorum generalium illarum partium ab ipsa dioc. a studio litterarum retraherentur providere sub beneplacito sedis apostolice et non alias in Capella vere crucis in dicta ecclesia
constructa unam societatem Capellaniam nuncupatam viginti quattuor Capellanorum sacerdotum et si tot sacerdotes non invenirentur tot diaconorum ad supplementum ipsius numeri viginti quattuor ex dicta dioc.
et non ex Civitate Elboren. bone conversationis et fame per vos et pro tempore existentem Archiepiscopum Elboren. eligendorum et iam forsan tunc per vos electorum quorum singuli sue Capellanie inservire et unam
missam in Capella seu ecclesia prefata aut Collegio Spiritus Sancti Societatis presbiterorum de Iesu per vos in ipsa Civitate ad communem illius tam cleri quam populi doctrinam ac spiritualem consolationem et utilitatem vestris
propriis sumptibus et bonis fundato et dotato qualibet hebdomada pro vobismet et vestris obligationibus celebrare atque in ipso Collegio casus conscientie mihi pro tempore legendos spacio duorum annorum aliisque
modo et forma per vos statuendis seu iam forsan statutis audire tenerentur et exinde de rebus ad curam animarum pertinentibus instruerentur ac pro elemosina ad sustentationem suam viginti quinque ducatos cruci-
atos nuncupatos monete in Portugalie et Algarbiorum Regnis pro tempore currentis perciperent et ex quibus unus qui magis idoneus et sufficiens videretur per vos aut Archiepiscopum prefatum deputaretur in Recto-
rem ipsius Societatis Capelle nuncupate qui ultra onera cuilibet Capellano incumbentia curam reliquorum Capellanorum tam circa mores et vitam quam auditionem lectionum casuum conscientie huiusmodi et satisfactione
onerum ad que tenerentur intendere et vigilare ac eos si premissa non adimplerent annotare et vobis seu Archiepiscopo prefato referre deberet et obligatus esset ac duodecim ducatos similes cum dimidio alterius
etiam similis ducati plusquam ceteri Capellani quolibet anno percipere in quorum locum dictis duobus annis revolutis alii viginti quattuor Capellani ut prefertur sacerdotes vel diaconi qui pro aliis duobus
sequentibus annis ad premissa omnia obligati essent per vos seu Archiepiscopum prefatum denovo eligerentur et sic de biennio in biennium perpetuo fieret vestra ordinaria auctoritate erexistis et instituistis ac ex quat-
tuor partibus fructuum reddituum et proventuum anniversariorum oblationum distributionum quotidianarum et aliorum introituum Canonicatus et prebende eiusdem ecclesie tunc per obitum quondam Didaci Vergara
Fogaça de Elboren. ecclesie Canonici extra Romanam Curiam defuncti vacantium que omnia ad Nongentos ducatos auri de Camera secundum communem extimationem annuatim ascendebant tres partes in pane ex granario
propriorum et hereditatum et in pecunia in die sancti Iohannis Baptiste solui solita eisdem Canonicatui et prebende provenientes vel eo circa consistentes a dictis Canonicatu et prebenda de consensu Capituli prefate ecclesie perpetuo
dismembrastis et separastis Ita ut extunc de cetero solum remaneret unus beneficiatus qui solum sub nomine Quartanarii ecclesie et prebende prefatis prout alii Quartanarii tenebantur inservire et instar cele-
braret aliisque oneribus eisdem Canonicatui et prebende incumbentibus satisfaceret cuique solum deberet Reliqua quarta pars fructuum reddituum et proventuum Canonicatus et prebende huiusmodi que in distributione
quotidiana excepta pitantia quattuor festivitatum anni et primorum dierum cuiuslibet mensis et in processionibus ac emolumentis et pane ex horreo Archiepiscopi et prefatorum Capituli provenientibus necnon in portiunculis porcorum
et gallinarum arietum paleis et aliis rebus minutis excepto tamen pane horrei hereditatum et propriorum ac pecunia in die sancti Iohannis solui solita consisteret que ad Ducentos viginti quinque ducatos Cruciatos
nuncupatos quotannis reddituram esset ad comodam sustentationem ipsius beneficiati sufficere posse videbitur ac tres partes sic ut prefertur dismembratas et separatas Societati Capelle nuncupate prefate
pro illius dote et viginti quattuor Capellanorum huiusmodi sustentatione de simili consensu dicta auctoritate etiam perpetuo applicastis et appropriastis Volentes quod Rector et alii Capellani prefati per vos seu vestros visitatores
in spiritualibus et temporalibus visitarentur et quod ab eorum receptore computum de fructibus redditibus et proventibus Societati Capelle nuncupate prefate assignatis reciperetur videreturque an eisdem capellanis
recte satisfieret et ubi ex fructibus redditibus et proventibus huiusmodi ultra elemosinam et stipendium eorundem Capellanorum superesset vos illud ad libitum vestrum possitis inter eosdem Capellanos iuxta eorum meritum
dividere vel si deo magis gratum fore iudicaretis numerum ipsorum Capellanorum cum similibus obligationibus augere prout in vestris patentibus litteris dicitur latius contineri Cum autem sicut eadem subiungebat petitio
premissa que non nisi ad servitium dei omnipotentis et divini cultus augmentum atque salutem animarum tendunt absque beneplacito sedis apostolice aliquem effectum sortiri nequeant et satius esse ac ipsi deo gratius et acceptius
fore creditur viginti quattuor sacerdotes ad curam animarum instrui quam repleri Canonicum divitiis que sepe possessorem suum in periculum et discrimen anime et salutis sue deducunt presertim cum dicta ecclesia nullum
propterea detrimentum in divinis patiatur et Quartanario ea omnia obsequia que ipsum Canonicum contingebant et forsan plura prestaturo Supplicari fecistis humiliter vobis super his per sedem apostolicam de oppor-
tuno remedio misericorditer provideri Nos igitur dictarum litterarum tenorem ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro sufficienter expresso habentes necnon servitio dei et augmento cultus divini et saluti animarum huiusmodi oppor-
tune consulere vestrisque in hac parte supplicationibus inclinati Auctoritate domini pape cuius penitentiarie curam gerimus Et de eius speciali mandato super hoc vive vocis oraculo nobis facto Erectionem et institutionem dismembra-
tionem applicationem appropriationem et voluntatem prefatas ac prout illas concernunt omnia et singula in eisdem litteris contenta cum omnibus et singulis in eis insertis clausulis necnon inde secuta quecumque
licita tamen et honesta rata et grata habemus Eaque omnia approbamus et confirmamus ac eis beneplacitum et auctoritatem apostolicam necnon plenum et perpetuum inviolabilis firmitatis robur adiicimus Supplentes omnes et
singulos tam iuris quam facti defectus si qui forsan intervenerint in eisdem Et nihilominus pro potiori cautela Societatem Capellaniam nuncupatam prefatam modo et forma prefatis et alias prout per vos erecta et instituta
fuit denovo perpetuo erigimus et instituimus Ac tres partes ex quattuor partibus fructuum reddituum et proventuum et aliorum introituum Canonicatus et prebende huiusmodi ab eisdem Canonicatu et prebenda et perpetuo
dismembramus et separamus Easque sic dismembratas et separatas Societati Capelle nuncupate prefate similiter perpetuo applicamus et appropriamus in omnibus et per omnia et sub conditionibus modis et formis
quibus et prout per vos dismembrate et separate ac applicate fuerunt Necnon quecumque statuta et ordinationes per vos in premissis hactenus facta et alia in posterum facienda regimen et directionem eiusdem Societatis
Capelle nuncupate concernentia dummodo licita et honesta ac sacris canonibus non contraria existant etiam perpetuo approbamus et confirmamus suosque plenarios effectus sortiri et ab omnibus inviolabiliter observari debere
Ac eos quos illa concernunt ad eorum plenariam observationem teneri et obligatos esse ac ad id etiam sententiis censuris et penis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis cogi et compelli posse Sicque in premissis omnibus et
singulis per quoscumque Iudices et personas sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi interpretandi et diffiniendi facultate et auctoritate iudicari interpretari et diffiniri debere Ac irritum et inane quicquid secus a
quoquam scienter vel ignoranter contigerit quomodolibet attentari decernimus Quocirca Venerabili in Christo patri dei gratia Archiepiscopo Ulixbonen. vel eius in spiritualibus Vicario seu Officiali generali et discreto viro Decano ecclesie
Elboren. et eorum cuilibet eisdem auctoritate et mandato committimus et mandamus quatenus Vobis in premissis per se vel alium seu alios efficacis defensionis presidio assistentes faciant presentes litteras et in eis contenta quecumque
perpetuo inviolabiliter observari non permittentes per loci ordinarium pro tempore existentem vel alios quoscumque tam ecclesiasticos quam seculares Iudices et personas cuiuscumque status gradus ordinis vel conditionis
fuerint et quacumque etiam Pontificali prefulgeant dignitate vel auctoritate etiam apostolica fungantur aliquam contra earundem presentium dispositionem attentari vel innovari aut Capellanos prefatos et alios quos premissa quomodolibet
concernunt publice vel occulte directe vel indirecte quovis quesito colore vel ingenio indebite molestari perturbari impediri aut alias quomodolibet inquietari Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesia-
sticam et alia iuris opportuna remedia appellatione postposita compescendo Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis Non obstantibus ac Constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam de
unionibus committendis ad partes ac de exprimendo valore ac Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas non nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis et quibusvis aliis Constitutionibus et ordi-
nationibus apostolicis statutis et Consuetudinibus privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio aut alias quomodolibet concessis
confirmatis et innovatis ac in posterum concedendis confirmandis et innovandis Quibus omnibus et singulis illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro plene et sufficienter expressis
habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus Necnon Iuramentum per vos de rebus ecclesie non alienandis prestitum quoad premissa relaxamus Ceterisque
contrariis quibuscumque Dat. Rome apud Sanctum petrum sub sigillo officii penitentiarie Id. Septembris Pont. domini Pauli pape iiii Anno Quarto

Oct.

A. Milesi sexcentum [illegible]

Ae Ruis

A: Cimus pro sigillo

[illegible] Mille octingentos f: Ber[illegible]

Iul. Card.lis Sfortia R.mi de consensu [illegible] R.di et ser.mi oris lus

Collegio de IESUS do Espirito S.to de Evora.
da Separação das 3. partes dos redditos de huma Prebenda da Sé de Evora p.a alimento dos Capellaẽs da Capella da Vera Cruz na mesma Sé que haviaõ estudar moral por dois annos, e que a 4.a parte ficaria p.a hum Quartanario.

Capella da vera cruz Bulla 1.a

Breve dado em Roma a 13. de Setembro no 4.o anno do Pontificado do Papa Paulo 4.o, por Raynucio Presbitero Cardeal do titulo de S. Angelo Penitenciario do dito Papa, e por seu especial mandado confirmou a separação, e desmembração das tres partes dos rendimentos de huma Conezia e Prebenda, que vagou por morte de Diogo Fogaça, na Sé de Evora, cujas tres partes, o Snr.o Cardeal Infante D. Henrique Arcebispo de Evora, tinha separado p.a sustentação de vinte quatro Presbiteros, e Diaconos a cada hum dos quaes se haviaõ dar em cada hum anno vinte cinco cruzados por serem Capellaens da Capella da Vera Cruz na dita Sé com obrigação de huma Missa na mesma Capella, ou no Collegio da Sociedade de IESUS, que o dito Snr.o Cardeal tinha fundado, e que se aplicariaõ dois annos ao Estudo de Moral em beneficio da sua Dioceze, e que no fim delles entrariaõ outros em seu lugar, e assim de dois em dois annos da hi em diante, e que o dito numero se poderia aumentar a proporção das rendas, e que estariaõ debaixo da inspecção do dito Snr.o Arcebispo, e seus successores, e que a quarta parte da dita Prebenda ficaria p.a hum Quartanario, que satisfizesse ao Culto Divino sem fazer falta o Conego da dita Prebenda, e a separação das tres partes dos redditos della, he que foi aprovada, e confirmada por este Breve p.a o dito fim.

~~Teologos e artistas~~ Capellistas

Breve dos capellaẽs capellistas a 1.a

Evora

Breve

Soto

Ferrer